

scendis qvalitatibus dependebit. Non ab his: nam sic nullæ dantur occultæ, cùm naturæ opera manifestissima; sed tantum prout sub censem nostri intellectus cadunt, omnium rerum dictatoris; ita tamen ut latentes Qualitates intra suas formas sint hujus denominationis causa quasi occasionalis, aut virtualis: intellectus verò noster non penetrans, sed obscuratus causa principalis, qvippe qui in res naturales sese non insinuat. Qvod parum infert in res, multum tamen notat de impotentia nostri intellectus.

§. 11. Scaliger qvidem Exercitat: i. de Subtil. in rebus etiam ipsis subtilitatem concedit, eamq;, vel (1.) ob ignorationem causæ, vel (2.) ob ignorationem cohæsionis causæ cum effectu, vel (3.) ob inæqualem proportionem, qvæ existit inter cognitum & cognoscentem. Sed uti priores duas subtilitates ipse per ignorantiam nostram describit, certus, subtilitatis attributione metiri res eas, à seipsâ imbecillitatem humanam: Ita non minus illa *dōsuμετρία*, qvæ inter cognoscentem, & rem cognoscendam datur, nostro vitio contingit. Etenim, inquit ipse Scaliger l. c. inter præstigiatoris manus qvod est, video. Mutatur enim species vel propter celeritatem, vel propter aliud. Qvarè verò mutetur, latet me. Qvod si in Homeri Iliade tam pusilla, qvam refert Plinius, perspicienda cuiuspiam sensus laborabat: neutiqvam in re fuit difficultas illa. Fuisse namq; visibilem, ex Opificis visione fateri cogimur. Qvo circa erit hujus aut illius oculi defectus, causa.

§. 12. Patet verò exinde, qvam rectè de iis occultis rerum viribus agere possimus; imò debeamus. Aurum non suspendit in aëre natura, qvod multiplici, & audaci nonnunquam labore è terræ visceribus eruendum est. Laboriosi & nos simus, necesse est, & audaces qvodammodo, ut quantum in secreta naturæ inspicere concessum est, ipsi exemplò nostrò experiamur.

§. 13. Qui verò aggressi hanc materiam, nobis in limine ipso peccare videntur, duorum generum esse comperimus. Quidam enim rerum naturalium subtili operatione excœcati, naturam ipsam aliquando exesse jubent, & pactum cum Diabolo saltem implicitum intercessisse judicant; qvemadmodum præter alios non ita pridem Franciscus Bonæ Spei Physic. part. 3. disp. 10. dub. 2. n. 54. seqq. Pulverem Sympatheticum, minerale illud, & mirabile medi-